



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Flores Meditationvm

Bebius, Philippus

Coloniae Agripp., 1623

Medit. 16. De Oue perdita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)



MEDITATIO XVI.
DE OVE PERDITA.

PUNCTA MEDITATIONIS.

- I. *Scribe & Pharisei murmurabant, Luc. 15.*
quod Christus peccatores susci-
peret, & manducaret cum illis.
- II. *Christus se excusat, similitudine alla-
ta, tum de eo, qui vna ex 100. ouibus
amissa, illam cum labore quasiuit &
cum gaudio reportauit; tum de mu-
liere drachmam requirente.*
- III. *Concludit: gaudium fore coram
Angelis Dei super vno peccato-
re poenitentiam agente, quam
99 iustis.*

PROPHETIAE.

SICVT pastor gregem suum pascet; in bra- *Isai. 40.*
chio suo congregabit agnos, & in sinu le- *II.*
uabit foetas ipse portauit.

In Ezech. c. 34. a. vers. 2 ad 11 reprehendit malos, ab 11. ad 18. officia sua recenset. *Ezech. 34.*

Vers. 16. Quod perierat requiram, &c quod pingue custodiam.

DOCY.

DOCUMENTA.

1. IMMENSA est caritas Christi Domini, qui peccatorem nullum, etiam si maxima ab eo iniuria affectus sit, contempnat, sed per poenitentiam benignè recipiat, atque ad mentem suam admissum, pretiosissimo corporis sui cibo saginet atque reficiat.

2. E Contrario extrema erat Phariseorum malitia, qui hac Christi benignitate, & aliorum sese emendantium pietate atque exemplo peiores euadebant, murmurantes ac reprehendentes, ut discas hoc esse mundi ac malorum ingenium, ut pijs detrahant, eosque irrisionibus ac varijs modis impediunt.

3. Oves illæ 99. sunt omnes Angelorum chozi, immensa multitudo, in montibus æternis Deo adhaerentes: omnis autem est humanum genus, pro quo requirendo Christus incarnari voluit, tota vita perquirere ac tandem humeris impositum (quando in cruce peccata expiavit) ad caulas cœlestes, cum Patris cœlestis & Angelorum gaudio referre. Quin immo tanta est eius caritas, ut paratus fuerit, & etiamnum sit, pro te solo, hæc eadem præstare (si ita Patri æterno videretur) quod agnoscens Apostolus dicebat. *Qui dilexit me, & tradidit (semetipsum) pro me.*

Gal. 2.

4. Per mulierem illam spiritaliter intelligi potest B. V. quæ accensa fidei lucerna, euerit domum animæ suæ, sic ut nullas omnino habuerit peccati sordes, crebrisque precibus, cœli fores pulsans, tandem inuenit drachmam, id est, gratiam concipiendi Christum, ut hominem ad imaginem Dei formatum à pulvere peccati liberaret. Vnde & illa, statim cōcepto

cepto Dei verbo, in montana conscendit salutatura Elizabethā, quæ de benedicto fructu ei congratulata est.

5. Si Angeli (qui tamen alterius naturæ sunt, ad poenitentiam peccatoris gaudeant, quanto magis nos, de fratris nostri salute gaudere conuenit, & pro eadem procuranda laborare?

6. Nulli vnquam de salute consequenda desperandum, cum Christus pro eo, & tanta fecerit, & plura facere paratus sit; immo & Pater cœlestis, Angelique ipsi eum expectent, modo homo ipse, sibi non desit.



MEDITATIO XVII.
DE MISERICORDIA
ET IUDICIO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Estote misericordes, sicut Pater vester cœlestis misericors est, nolite iudicare, & non iudicabimini.* Luc. 6.

II. *Date & dabitur, &c. Eadem mensura remeietur vobis.*

III. *Quid vides festucam in oculo fratris; & trabem in oculo tuo non consideras? Eijce primum trabem, &c.*

PROPHETIÆ.

M*isericordiam volui & non sacrificium. Mic. 6.6*
Facere misericordiam & iudicium magis placet, Deo quam victima. Prou. 21

X

Qui 3.